



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 9. Diuinitus accepta notitia terræ motuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

498 Cap. XVIII. Terra mala, & precipue  
nauibus posita, & quæquam in adificijs, crepitus  
prænunciant. Quin & volucres non impanide  
sedent. Est & in cælo signum, præceditq; motu  
futuro, aut interdiu, aut paulò post occasum  
sereno, cœn tenuis linea nubis in longum porre-  
tæ spatiū. Est & in puteis turbidior aqua,  
nec sine odoris tædio. Talis ergo & Phere-  
cydis Pythagoræ doctoris cōjectatio fuit,  
aut esse potuit.

§ IX.

*Divinitus accepta notitia terræ motuum.*

Aliâ viâ, Sancti vel præsentem alijs, ipsi  
absentes, vel futurum terræ motū cogno-  
**Gen. 18.** uere. Nam, vt tres Angeli Sodomitarum  
17. excidium Abrahæ detexerunt; ita suprà  
memorati tres viri ciui Antiocheno & su-  
dario, tanquam missione mappæ, se signū  
erupturæ labi dare, & precibus diuinæ vin-  
**Eusagr.** dictæ manum iniici posse ostenderunt. Zo-  
**1. 7. cap. 4.** simas quoque Sindenus, Phœnicia mona-  
chus, miraculis clarus, quamuis procul ab-  
asset Antiochia, tamen terræ motum An-  
tiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris  
accidit, sciuit, ac in ipso momento, non per  
turbidam putei aquam, sed Deo reuelante  
sensit, subito enim consternatus, gemebun-  
dus, tantumque lachrymarum fundens, ut  
ipsum

*motus, unde, & cur existant?*

499

ipsam terram rigaret, totoq; illo tempore,  
quo Antiochia terræ motibus concutieba-  
tur, in terram prostratus Deum placauit.  
Arcesilao autem quærenti: *Quæ huīus subi-  
tanea tristitia eſſet cauſa?* respondit: *Ruentis  
Antiochiae fragorem aures suas repleuisse.* Ar-  
cesilaus, & qui simul aderant, hæc audien-  
tes obſtupefacti, horam annotarunt: ac  
postea diligenti inquifitione, rem ſic ſe ha-  
bere deprehenderunt. Amor aniato etiam  
ſecretiſſima pandit. Quare vel ipſe Deus  
ait: *Num cælare potero Abraham, quæ geſtu-  
rus ſum?* Hac de cauſa etiam compluribus <sup>Gen. 18</sup>  
<sup>17.</sup> alijs eiuscmodi atroces clades terris insta-  
tes, non per cometem tātūm, ſed alijs quo-  
que portentis oſtendit. Narrat Paulus Dia- <sup>Paulus</sup>  
conus, sub Anastasio Imp. quendam mili- <sup>Diacon</sup>  
tem, non procul ab vrbe Neocæſarea, iter lib. 15.  
ſcientem, paulò antè, quām ea terræ mo-  
tu concuteretur, in aēre ſuprā eam duos  
conſpexiſſe milites, & alterum à tergo cla-  
mantem: *Conſernate aedes, in quibus, ſepul-  
chrum extat Gregorij* (Thaumaturgi) facto  
autem terre motu, maximam partem ciui-  
tatis collapsam, & euersam fuiffe, illæſa-  
manente Gregorij domo. Et Sigonius quo- <sup>Car. Si-</sup>  
que refert, Neocæſarea An. 343. vi terræ gon. li. §:

Ii 2

*motus*

Imp.  
occid.

500 Cap. XVIIII. Terra mala, & prae*cup*te  
motus mari absunta, Ecclesiā & Episco-  
pum tantum incolumes extitisse. Nimirū  
nouit Domiuus, qui sint eius; & potest à  
tritico zizania separare. Quod quia nec  
peccatores ignorant, semper metuunt, ne  
terra sub pedibus eorum discedat, & ad  
omnes passus trepidant, cùm interea sanx  
conscientiæ homo semper animo sit con-  
stanti & erecto, nec se deijci sinat, etiam si  
fractus illabatur orbis.

§. X.

*Christianorum templis parcens, Infidelium  
enertens terræ motus.*

Quoniam autem vehementer animat,  
mortalesque inflamat ad Deum colen-  
dum diuinæ protectionis experientia, non  
omittā apponere, quod de alio terræ motu  
recensetur, qui An 1509. die 14. Septemb.  
incipiens, decem & octo continuis diebus,  
murum Constantinopolitanae urbis, qua-  
parte mare spectat, cum omnibus adjacen-  
tibus domibus disiecit, & fossas ruderibus  
impleuit, ac terræ aquavit. Arcem, in qua  
gazophylacium Imperatoris quinque tur-  
ribus munitissimis custoditur, & insignis  
domus, in qua leones, tanquam in viuario  
nutriuntur, destruxit. Cuniculos, qui per  
montes